



HIERONYMI
 CARDANI
 DE UTILITATE
 EX ADVERGIS CAPIENDA,
 LIBRI QUATOR.

PRÆFATIO.

Ad Octavianum Cusanum Iurisconsultum.



ANTA fuit maioribus nostris decoris & honesti cura, OCTAVIANE CVSANE, Urbis nostræ insignæ ornamentum, vt Socrates, de vita periclitans, Lyfiæ, Rhetoris ea tempestate primarij, orationem luculentissimam & omnibus numeris absolutam aspernatus sit: restatus, bonam quidem esse & præclaram orationem, sed minus sibi congruentem. Ea ego quoque ratione, cum multa in nominis familiæque tuæ laudem, tum & operis atque argumenti conscribere possem, aut facundia atque eloquentia ornare virtutem tuam ac facta, aut utilitatem operis miris quibusdam modis pro more extollere; malui sola proposita nuda veritate, velut decebat Philosophum grauem, ea hîc proponere, quæ ad intellectum operis ipsius facerent. Nam & eius dignitatem & tuam his præconiis indigere non existimo. Est enim operæ superuacaneæ & inanis prorsus laboris, ea, quæ omnibus nota sunt & per se clara, grandioribus verbis velle illustrare. Nam si vera sunt, frustra: sin falsa, id adulatoris est improbi. Cum ergo duo sint homini maximè necessaria, habere quòd velis, & his, quæ habes, vti commodè scire: hoc secundum quidem in cuiusque potestate est, modò industriam, curam, diligentiamque adhibeat: alterum, non omnibus, nec prorsus, sed plerisque atque maiori ex parte concessum est. Horum igitur duorum causa quatuor hos libros conscripsimus quàm accuratè per id tempus licuit: siquidem antè medium cursum contigit mihi graue illud infortunium atque calamitas, quæ vel sapientissimum quemque de recta ratione deturbare potuisset. Et, vt vera fatear, non tantum profuere hi libri in huiusmodi dolore, quantum mihi profuit sciuisse, mortem hanc iam multò antè prædictam, ordinatamque fuisse, certo iudicio diuinæ sapientiæ, quasi prodigio insignis alicuius calamitatis. Necesse enim erat, vt è iusti sanguine aliquis publico iudicio, velut in aliis excidis, causa quadam honestiore in nostro excidio plecteretur: quòd quando futurum sit, nec scio, nec scire cupio. Satis fuit mihi obstuisse, quantum potui, vt non solum priuatum affectum, sed etiam tantum malum ab omnium capitibus auerterem. Nam quòd ad me attinet, quin perierim nihil abfuit, nisi diuina manus me subleuasset, primùm monitu per somnium, deinde conscribendo libros illo admirabi-